

463

461

467

457

472

452

512

412

562

362

Ende

Anfang

452

runt, quo longo itinere navigantes oceanum Germanicum attigerunt,
ubi Prussiam, Livoniam, Gothiam, Norwegiam, Daciam (Daniam?) per-
currentes, et mare Balticum et insulas Saxonum, de oceano Germanico
in Anglicum et Britannicum projecti et Gallicum ingressi post
longam gyrationem in Herculeum devenerunt strictum, et per co-
lumnas Herculis ingressi in mare nostrum revenerunt, per quod
longa navigatione in Adriaticum pelagum delati inde in Pelopon-
nesum devenientes proprios attigerunt lares. Haec fabulosa navi-
gatio quam longa fuerit, videri potest in prima tabula comm.
Ptolomaei et in 8. Europae, et in moderna mmx eadem.

Processimus consequenter a cavo lapide taediosa et mala via
per vallem et in locum venimus, ubi vallis conclusa est fossato
et vallo a monte ad montem protensis. Eo enim anno, quando
Veneti inierunt foedus cum Turcis, sunt jam anni VI, tantus ter-
ror invasit universam Italiam et regiones finitimas in montanis,
quod multi derelictis sedibus suis fugerunt in Sueviam. Nec mirum,
nam Turci in Foro Julio multa loca devastaverant, nec aliud
restabat, nisi ascensus eorum in montana, et in istis angustiis
incolae terrae congregati illam munitionem fecerunt ad prohiben-
dum inopinatum Turcorum introitum, quo usque Christiani congre-
garentur.

Ulterius munitione postergata pervenimus in districum valde
malum, ubi mergebamur cum equis usque ad ventrem in nives, et
si quis descendit, mox usque ad nates nivibus infigebatur. Modic-
um autem erat nix in superficie gelu indurata, ita quod equi
quandoque cum uno pede incidebant, aut anterioribus tantum vel
tantum cum posterioribus, et in istis fuit tantus equorum conatus,
quod non speravimus posse equos nisi claudos aut alias inutiles
fieri. In maximo certe periculo eramus, et videbatur mihi leve
esse, quod passus fueram usque ad illam tribulationem. Obstupui,
fateor, et animi cecidere vires, et, quasi itineri meo obstaculum
insuperabile esset objectum, desperans intra me ajebam: o miser
FFF! potui amplissimam maris magni gurgitem intrare et fluctus
in sidera usque surgentes modico concendere lembo, potui vastum
littus omne mediterranei maris inter mille scopulos et sonantia
saxa ambire, montes seabrosos ascendere, lubricas calcare valles,
tenebrosa antra subire, perscrutari lustra ferarum et silvarum
atque nemorum sepositas umbras, iustrare urbes et oppida, et

